Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

petieritis in nomine meo hoc faciam. Et quod
dixerat faciet. postea ait faciam. tamquam diceret.
Non uobis hoc impossibile uideatur. Non enim
potest esse maior me qui credit in me. Sed
ego sum facturus tunc maiora quam nunc. ma
iora per eum qui credit in me. quam praeter eum per me.
ego tamen ipse praeter eum. ego ipse per eum. Sed quando
praeter eum. non faciet ipse. quando autem
per eum quamuis non per semetipsum ipse faciet.
Porro autem maiora per eum facere quam praeter eum. non est
defectio sed dignatio. Quid enim retribuant
serui domino pro omnibus que retribuit eis. quandoquidem
inter cetera bona et hoc eis donare dignatus
est. ut maiora faceret per illos quam praeter illos.
Nonne ab ore ipsius diues ille tristis absces
sit. quando uite eterne consilium quesiuit. audiuit.
abiecit. Et tamen postea quod ab illo auditum
non fecit unus. fecerunt multi. cum loqueretur per dis
cipulos magister bonus. contemptibilis ei quem
diuitem per ipsum monuit. amabilis eis
quos ex diuitibus pauperes per pauperes fecit.
Ecce maiora fecit predicatus a credentibus.
quam locutus audientibus. Verum hoc adhuc
modo. quod hec maiora per apostolos fecit. non eos
ipsos tantum significans ait. opera que ego
facio et uos facietis. et maiora horum fa
cietis. sed omnes ad suam familiam pertinen
tes intellegi uolens. qui credit in me
inquit. opera que ego facio et ipse faciet.
et maiora horum faciet. Sic ergo qui credit fa
ciet. non credit utique qui non faciet. sicut est
qui diligit me mandata mea custodit.

unde profecto qui non custodit. non diligit. Item
alio loco. qui audit inquit uerba mea hec et
facit ea. similabo eum uiro prudenti qui
edificauit domum suam super petram. Qui ergo non est
similis huic uiro prudenti. procul dubio
aut uerba hec audit et non facit. aut omnino
nec audit. Qui credit in me inquit. licet
moriatur uiuet. Qui ergo non uiuet. non utique cre
dit. Tale est et hoc. qui credit in me opera
que ego facio et ipse faciet. Non itaque credit.
qui non faciet. Quid est hoc fratres. Numquid inter cre
dentes in Christum non est computandus. qui non
fecerit opera maiora quam Christus. Durum est et ab
surdum est. ferri non potest. non toleratur. nisi intelli
gatur. Apostolum ergo audiamus. Credenti inquit in
eum qui iustificat impium. deputatur fides
ad iustitiam. In hoc opere faciamus opera Christi.
quia et illud credere in Christum opus est Christi. hoc
operatur in nobis. ut non utique sine nobis. Audi
iam ergo et intellege. qui credit in me opera que
ego facio et ipse faciet. Prius ego facio. de
inde et ipse faciet. quia facio ut faciat. Que
opera. nisi ut ex impio iustus fiat. Et maiora
horum faciet. Quorum obsecro. Numquid ea omnium
operum Christi maiora facit. qui cum timore et tremore
suam ipsius salutem operatur. quod utique in illos et
sine illis Christus operatur. Prorsus maius hoc esse dix
erim quam est celum et terra. et quecumque cernuntur in ce
lo et in terra. Celum enim et terra transibit. predesti
natorum autem salus et iustificatio permanebit.
In illis tantum opera dei. in his autem est et yma
go dei. Sed in celis sedes. dominationes. princi